16 Nov. 1662 313. 61



AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVT.
IN SCHOLIS MEDICORVM,
die Iouis xvi. Nouembris. 1662

M. IACOBO BOVIONIER DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

Eſt-ne gemellorum par ſexus diſpari viuacior?

I.

A QVIBVS vltima generationis abſoluendæ linea ducitur, ab iiſdem vitæ vel diuturnioris, vel breuioris conſtituuntur primordia. Ad hæc nihil Planetarum vt aiunt exaltationes aut carpenta, nihil prima vel octaua cœli domus, aut in ipſis conſtituta ſydera; parentes omnia, mater plurimum confert. Sexus diſcrimina ſummo jure moderatur maſculum ſemen, ſed in vtero: extra vterum vel ad tepidum ſolis lampadem, roremve cœli, vel in vitro, equinoue chymici fimo: vel in regionis denique lunaris fœliciore ſolo, nihil effecturum. Huic locum, materiam, & alimenta ſic mater præbet, vt aut excitatas aut eneruatas ipſius artificis vires poſſit ad robuſtiorem vel infirmiorem fœtus indolem

314

traducere. Hinc cum illis præclariùs agitur qui ex ſeſe firmiùs habente matre geniti, quàm cum illis qui robuſtum patrem & imbecillam matrem fuêre ſortiti.

I I.

VEL in minimis natura ſic agit, vt donec opus abſoluerit, ſui juris eſſe, nec ab opere velit interpellari. Concurrerint elementa, & jam in ſeſe per variè diſtributa caloris & frigoris momenta comparentur; ſi quid minùs expectati obſtiterit, Ilicet, erumpet in neruum omnis paratæ quamtumuis & ad magna ſeſe ferentis induſtriæ meditatio. Ad hominis generationem, quàm accuratè conquiſito, quàm lentè quàm faſtidiosè perpenſo innumeræ ſupellectilis apparatu res à naturâ peragatur, patet, & hæc nullibi ſæpiùs aberrat infœliciuſve corruit. Quid ita? nullibi ſæpiùs ab eo quod intenderat opere diſtrahi, fluctuare, & ad varia rapi cogitur. Vt quemadmodum per viles paludis lutulentæ riuulos, ſine nomine ſerpunt ignobiles aquæ, quæ ſi liberiore ferrentur alueo, in nobilem fluuium excurrerent: Sic naturæ pluribus incumbere non valentis impotentiâ monſtrorum diſtortiſſimæ facies appareant, quæ ſedulo ejuſdem ad vnum attendentis labore enituiſſent elegantiſſimæ.

I I I.

DIRIVS monſtri nomen haud patiuntur gemelli. Leuiuſculam naturæ nonnihil conniuentis aberrationem præ ſe ferunt. Hæc in homine, dum ad alia rapitur ituri ad ſeminis confectionem excrementi copia, generatione omnibus elegantiæ numeris abſolutâ perfungi non poteſt, ſi plures generet. Quod tamen, ſi quando euenit, quid geminorum, ſagittariíve primam horoſcopi cuſpidem tenentis, quid planetæ in aſcendente bicorpori dominantis imbelles vires memorant? Conſilio naturæ minùs congruentis euenti cauſa naturalis eſt. Seminis quas aggregari oportuerat variâ jactatione diſcretæ partes, ſi diuerſis fuerint iiſdemve caloris

viribus inſtructæ, adpellentem materiam, ad diſparem pa-remve ſexum informant. Nihil hic famoſa poſſunt vteri aut varias in cellulas, aut in partes variè affectas partiti, diſcrimina. Is enim eſt æquabili & particularum planicie & temperamenti conſtitutione præditus.

I V.

SEXVS ejuſdem gemellos vix & laborioſè ſuſtentat natura, ſuſtentat tamen; & geminatas ſoliti laboris vices putat illarum, vt ita dicam, germanitate ſubleuari, perpetuo diſparum diſſidio, quo tandem modo faciat, ſatis non habet. Quin ad alterius formationem, jamjàm admouendam vltimam manum inhibere, & ad deſignanda alterius prima vixdum rudimenta incurrere quaſi deſultoria cogitur. Peruertenda omnis procurandi alimentorum commeatus ratio, & hic modo vel neceſſariis defraudandus, modo huic nimia oggerenda, omnia tandem fortioris arbitrio permittenda. Ex quibus tantis vt anguſtiis emerſerit, emittendæque ad lucem tantę ſarcinę tempus aduenerit, quam ſe anxiè torqueri, quàm moleſtè ſenſus omni materno amore molliores diuelli videt. Emittatne planè jam abſolutum & corroboratum marem? Quid aliud aget, niſi fœminæ ſtatìm morituræ ſanguine incolumitatem illius afferat? Expectet-ne dum hæc firmior euadat? at ille non jam in vtero enutriri, ſed in tetri carceris ergaſtulo cruciari, & in mediis ignibus exuri videbitur. Quid igitur? eligit medij quendam modum, vt alterius nonnihil proroget, alterius planè non expectet tempora. At hujuſmodi medio nihil ad infantium naſciturorum vires calamitoſius: quæ enim aliàs alterutrius ſaltem ſaluti conſuluiſſet, ſic vtrumque vel præproperâ feſtinatione; vel lentioris morę cunctatione peſſundat.

V.

QVI nihil aſtris debuit naſcens par gemellorum ſexus, natus nihil ab aſtris timet, niſi ne corruant, eo-

que fidentiùs per variè occurſuros diſcriminum caſus vitam trudit, quò periculoſiùs illius vſuræ primordia percepit. Neque enim ſine periculo leges à naturâ obſeruari ſolitæ immutantur. Hæc verò ſit conceſſa cæteris animalium ſpeciebus licentia plures generandi, varioſque ſimul ſexus in lucem emittendi: Homini proprium ſit, vt ad vnius generationem à naturâ deſtinatus eſſe videatur. Huic exquiſita illa temperamenti nobilioris indoles non ad natorum multitudinem data, ſed ad eam rerum gerendarum præſtantiam, quæ neceſſariâ ſpeciei propagationis oblectatione exhilarari, non multiplici educationis innumeræ faſtidio grauari poſſit. A cæteris animantibus quaſi debitum conceſſæ vitæ vectigal prolem exigit natura, hominem & ſuis quidem ſed & ſibi profectò ſeruire patitur.

Ergo gemellorum par ſexus diſpari viuacior.

Proponebat ANTONIVS LE MOINE, Pariſinus, Anno Domini 1662.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Baralis, Med. Reg. — *M. Ioannes de Bourges.* — *M. Nicolaus Richard.*
M. Ioannes Anton. Bourgaud. — *M. Robertus Patin.* — *M. Petrus le Mercier.*
M. Germanus Hureau. — *M. Michaël de la Vigne.* — *M. Claudius Guerin.*

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET, Typographum Regium, viâ Citharæ, ad inſigne trium Regum.

M. DC. LXII.

cette these est la 1133e du tome VII in folio des theses de la faculté. cependant M. Baron fils remarque dans la Series chronologica quaestionum medicarum page 51 que c'est au mois de novembre 1762 que les theses qui auparavant etoient imprimées in-folio ont commencé a l'etre in 4°. ——— ×